



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. De Iudaismo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM II.

De Judaismo.

Quæritur hic tantum, quæ communicatio cum Iudæis interdicta Christianis?

Resp. I. His casibus; qui colliguntur ex c. *Nullus. c. Omnes. c. Iudæi.* 1. Non licet cōhabitare. 2. Nec conviviis interesse. 3. Nec uti communi balneo. 4. Nec medicos adhibere. 5. Nec medicinas ab iis datas recipere; emere tamen licebit præscriptas. 6. Nec Judæorum filios enutrire in ipsorum domibus. 7. Iis non famulari. 8. nec servitute subjici. 9. Prohibentur publicis officiis inter Christianos fungi. 10. Vetitum est eorum azymis vesci. Quibus addit *Azor*, prohibitum esse, accedere ad eorum nuptias, festa, Synagogas, cum eis ludere, saltare, &c. Ratio horum est, tum ut conservetur dignitas Christianæ religionis, tum ut caveatur familiaritas cum Iudæis, & periculum perversionis. *vid. Laym. l. 2. c. 1. c. 12. & 17. Sanch. lib. 2. c. 31. Fill. tr. 22. c. 5. n. 128.*

Resp. II. In decem dictis casibus communicare cum Judæis, ex genere suo videtur esse mortale. Ratio, quia si Clericus id faciat, incurrit periculum depositionis; Laicus verò excommunicationis: (*C. Constituit. 17. q. 2.*) quæ non nisi ob peccatum mortale imponi solet. Dixi *ex genere suo*: quia probabile est, vel ob materiæ pravitatem, vel ob necessitatem, aliãve causam rationabilem, (si tamen non sit periculum perfidiæ, nec familiaritatis cum Judæis) sæpè excusari à

mor-

mortali, aliquando etiam ab omni peccato. *Ita communiter. v. Autt. suprâ citt. & Bon. l. c. item Laym. l. 4. t. 1. c. 17.*

DUBIUM III.

Quid sit Hæresis?

Resp. Hæresis, est error intellectus liber, & pertinax contra fidem, in eo, qui fidem suscepit. *Ita comm. Suar. Bec. c. 14. q. 2.* Unde patet, ad Hæresin, uti & Apostasiam, duo requiri: 1. Judicium erroneum, quod est ejus quasi materiale. 2. Pertinaciam, quæ est quasi formale. Porro pertinaciter errare; non est hic acriter, & mordicus suum errorem tenere, aut tueri, sed est eum retinere; postquam contrarium est sufficienter propositum; sive quando scit, contrarium teneri à reliqua universali Christi in terris Ecclesia, cui suum judicium præferat; sive id fiat ex vana gloria, sive libidine contradicendi, aliâve causa. *Ita Sanchez. Vasq. Lay. l. 2. t. 2. c. 13. & alii comm.* Ratio, quia tunc putat, judicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum credendi, quæ est vera pertinacia: quam cum Cõningk facilius sic explicant alii, eam tunc esse, cum etsi objectum fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo non possit dubitare; contrarium tamen judicet, à quo nolit avelli ullo casu, vel saltem, nisi evidenter convictus, *v. Cõn. d. 18. Vnde resolves.*

I. Non est hæreticus, qui exterius tantum fidem negat, aut adorat idolum. Ratio, quia non errat. Neq; talis incurrit in foro conscientiæ censuras latas contra hæreticos, etsi in foro externo secun-